



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 1. Non solis iis qui ad vitae terminum appropinquant, denegatur gratia
ab Authore Appendicis asserta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

multo tempore alii consequuntur. Ne tamen hinc quidam malè præsumant, salubriter addit: *Sed unde scis quod tibi ita tunc subvenire velit, quem tu interim sic repellis? Benignus quidem est spiritus sapientiæ, sed non liberabit maledicum à labiis suis.*

§. I.

Non solis iis qui ad vitæ terminum appropinquant, denegatur gratia ab Authore Appendix afferta.

Verùm non hæc sola facienda est exceptio, quasi cæteris omnibus ita adsit, ut *dumtaxat* sit illi consentiendum: nam adhuc sospites erant plerique eorum, de quibus superius est actum, sic etiam nondum animam agebant, quos *dimisit Deus* *Ps. 80. 7.* *secundum desideria cordis eorum ituros in adin-* *12. 13.* *ventionibus suis.* Hujusmodi plures produci possent qui relinquentes Deum ab ipso quoque relictæ sunt. Pro his quidem sicut & pro reliquis omnibus, apud Deum intercedit Ecclesia, neque id inaniter fieri ipse rerum monstrat eventus; quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transferrat in regnum Filii charitatis suæ. **Tamen**

men priusquam pro eis Ecclesiæ oratio fuerat exaudita, antequam eos Deus ad se attrahere & convertere dignabatur, nondum eis aderat ista poenitentiae & conversionis gratia, ut *dumtaxat* illi esset *consentiendum*. Istud adversus Appendicem satis est ac fidem ejus evertit. Deinde, ut notat S. Prosper, non pro omnibus Ecclesiæ oratio exauditur. *Quod si aliquos, ait, (sicut videmus accidere) salvantis gratia præterierit & pro eis oratio Ecclesiæ recepta non fuerit, ad occulta divinæ justitiæ judicia referendum & agnoscendum est secreti hujus profunditatem nobis in hac vita patere non posse.*

L. 1. de vo-
sat. gent. c.
13.

§. I I.

Hic gratiæ defectus non Deo; sed homini est imputandus.

HOc tamen omnino affirmavero istiusmodi divinæ gratiæ defectum non Deo sed homini esse imputandum. Ut enim Dei adjutorio homines non adjuventur, ait D. Augustinus, *in ipsis itidem causa est, non in Deo.* Quæ Augustini verba ad Monimum refert & approbat S. Fulgentius, qui & alibi ait: *Hæc Dei gratia quâ salvamur, non alicui præcedenti bono merito datur: nec tamen nisi præcedenti malo merito*

Lib. 2. de
pecc. mer.
& remis.
sap. 17.

L. 1. c. 28.

L. 1. de ver.
prædest. c. 3.

merito